

SCRIPTA

Numéro Scripta : 9438

Auteur(s) : Riulf de Landivy [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Savigny-le-Vieux, Sainte-Trinité de Savigny (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1168-1200]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Avec l'accord de ses seigneurs Juhel de Mayenne et Philippe de Landivy, Riulf de Landivy cède à Savigny, pour 60 livres du Mans et un cheval, 5 mesures au Theil et la terre de la Morenesche.

Tableau de la tradition

Original

A. Paris, Arch. Nat., L 971, n° 609 et n° 610.

Dissertation critique

Transcription : Claude Groud-Cordray (Cartulaire de l'abbaye de Savigny ou Liber cartarum domus Savigneii, episcopatu Cenomanensi, n° CXVI)

Texte d'après A

Notum sit omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris ad quos presens scriptum pervenerit quod ego Riulfus de Landavico miles concedentibus Juhello filio meo et Aales filia mea assensu etiam domini Juhelli de Meduana et Philipi de Landavico militis dedi et concessi et presenti carta mea confirmavi abbati et monachis Savigneii in perpetuam elemosinam liberam penitus et quietam, quicquid habebam in terra de Theilleio scilicet masuram Galteri de Thelleio quam tenebant Guillelmus Galteri, Ricardus Galteri et Fromundus filius Guillelmi, masuram quoque Petri Hervei et masuram Bernerii quas idem Petrus Hervei tenebat, masuram etiam Rogerii Leporis quam tenebat Radulfus Rogerii, masuram insuper de Alleharderia quam tenebant Guillelmus Allehart, Odo Allehart, Robertus Allehart et Rocherel, et preter hec totam terra de Lamorenesche cum pratis ad easdem terras pertinentibus. Et cum prenominati Aillehardi hereditarium haberent in predicta masura de Hailleharderia et in quarta parte de Lamorenesche, ipsi renunciaverunt toti juri suo et illud abjuraverunt coram me in abbatia Savigneii presente Willelmo Pel de Lou sinescallo Juhelli domini Meduane quem ad hoc ipsum dominus Juhellus miserat. Abbas autem et monachi Savigneii tantumdem terras eisdem Aillehardis tradiderunt in parrochia Savigneii videlicet XIII acras hereditarie tenendas reddendo inde annuatim ipsis monachis XIII solidos Cenomannesium in festo sancti Remigii. Et sciendum est quod Radulfus Ernaldi et filii ejus Johannes et Herveus et Osanna ejus filia et Osanna uxor Guillelmi Chastaig et filii ejus Petrus, Moricius, Radulfus, Ranulfus, Gaufridus et Petrus filius Roberti Toscherere omnes isti renunciaverunt juri suo quod habebant in tribus partibus de Lamorenesche et illud abjuraverunt Petrus autem filius Roberti qui habebat III solidos in masura Radulfi Rogerii illos tantummodo de manu monachorum recipiet donec illi in terra assignentur et si conversus fieri voluerit illi III solidos quieti erunt. Pro hac itaque donatione mea dederunt michi abbas et monachi Savigneii de caritate domus sue LX libras Cenomannesium et Juhello filio suo unum equum et Aeles filie sue V solidos. Ego autem et Juhellus filius meus et Aales filia mea

juravimus super sancta quod nichil juris ulterius in predictis terris nobis aut heredibus nostris vendicabimus, si autem aliquis eosdem monachos inde in posterum molestaverit ego et heredes mei predictas terras eis pro posse nostro cum expensis eorum garantizabimus. Hoc autem totum postea recordatum est ad majorem certitudinem et confirmationem in curia domini Juhelli de Meduana ipso presente et assensum prebente. Ut igitur predicta donatio mea perpetuam obtineat firmitatem eam presentis scripti testimonio et sigilli mei munimine roboravi. Testibus his, Willelmo de Logis priore, Hugone de Meduana, Ricardo Bastart, Jacobo, Roberto de Moletto, Hugone de Croleio monachis Savigneii, domino Juhello de Meduana, Gervasio de Corceisiers, Hamelino de Ynneio, Petro Anglico, Hamelino Ferrant et multis aliis.